857

DE ORIGINE
ANIMALIUM,
ET MIGRATIONE
POPULORUM,

Scriptum ABRAHAMI MILII.

Ubi inquiritur, quomodo quaque via Homines cæteraque Animalia Terreſtria provenerint; & poſt Deluvium in omnes Orbis terrarum partes & regiones: Aſiam, Europam, Africam, utramque Americam, & Terram Auſtralem, ſive Magellanicam, pervenerint.



GENEVÆ:

Apud PETRUM COLUMESIUM.

M. DC. LXVII.

Quomodo, quâque viâ homines & cætera Animalia terreſtria provenerint; & pervenerint in omnes orbis terrarum partes ac regiones, Aſiam, Europam, Africam, utramq; Americam & Terram Auſtralem, ſive Magellanicam.

Generoſitas ea excellens eſt humanæ mentis, quod non ſe ſiſtit aut velut alligata detinetur, ut bruta animantia, ad unum aliquem locum in quo pedes figunt, nihil dum excedentem; ſed inſtar ætherii ſpiritus aut cæleſtis Angeli vento citius diſpatiatur, per Cælum, Terram, Mare, creata omnia & increata: ut abdita eruat, difficilia penetret, & ignota ſcrutetur atque capiat, inque ſemet velut theſaurum recondat. Non tamen hominum omnium menti generoſitas hæc, & cuncta perquirendi, quæ in ſinu naturæ latent aviditas æque ineſt: ſed aliqui per ſocordiam, alii per luxuriam, alii per gulæ ventriſque obſequium hæc præſtantiſſima prærogativa, ſupra reliqua ani-

animalia ſibi conceſſa, ſemetipſos defraudant, & in brutorum capacitatis anguſtias ſe penè contrudunt.

Inter alia, quorum inquiſitionis mentes illæ erectiores & pellucidiores ſunt cupidæ, eſt illa præclara indagatio, *Quomodo, quaque ratione tam homines, quàm animalia cætera, præſertim terreſtria,* Or*bis terrarum ſingulas partes inhabitatum pervenerint.* Agitatur hæc quæſtio curioſius inter eruditos: non tantum cum aliis, ſed & ab unoquoque quaſi ſecum apud animum ſuum. Atque in eo anquirendo pro ingenio ſuo divino mentes peregrinantur per cælum, maria, extimaſque terras.

Non potuit verò mens mea quieſcere, quin de veriſimilitudine hujus quid eſſet, diſquireret. In quo fateor non ubique inſiſto veſtigiis aliorum, qui de eo aliquid in lucem protulerunt; neque ad eandem cum ipſis ſententiam ſubſiſto; ſed hîc illic ab iis abſcedo, quò me filum aut norma rationum ducit.

De ortu & origine hominum, quibuſque in ſedibus, quaque ratione ab initio collocati ſint, indeque in alias regiones progreſſi, minor eſt dubitatio; ſed magna de brutis animalibus, terreſtribus præſertim quadrupedibus.

De hominibus diſpiciamus ad initium, Et quidem, cum eorum habitaculum, & velut ingens prædium diveſque quædam

villa

villa ſit univerſus mundus, & quicquid in eo eſt, opulentum quoddam peculium ſuppellexque; volupe fuerit de ejus prima origine & ædificatione aliquid enarrare. Mens humana vagata extra divinos Moſis & reliquos ſacræ Scripturæ libros, ſequuta naturæ ſuæ fallax & corruptum lumen, tanquam meteorum quoddam ignis fatui, mirum eſt & ridiculum quantum de hoc ortu & generatione rerum creatarum nugetur fabuleturque; nec tantum gregarii quidam Philoſophaſtri, ſed & ipſi inter Philoſophos principes anteſignanique, qui habiti ſunt omnis humanæ ſapientiæ quaſi medulla.

Ariſtoteles Stigirites, Scholæ Peripateticæ columna culmenque, cujus alioquin in rebus plurimis fuit admirabilis ſagacitas, autumavit Mundum eſſe ingenitum, nec unquam finiendum aut interiturum; hominumque genus ab æterno extitiſſe, neque ortus principium habuiſſe: Ejus hallucinatione à vero in hac re abducti fuêre integri Philoſophantium greges.

Alii judicarunt ſanius, & ad veritatem ſacrarum literarum appropinquârunt propius. Nam ſenſerunt à primordio cælum & terram unicam habuiſſe idæam, eorum naturâ permixtâ, rudem atque indigeſtam molem, quam vocarunt Chaos. Deinde diſtinctis invicem corporibus mundum nactum hunc ordinem & formam, quos *Diodor. Sicul. hiſtor. lib. 1. cap. 1.*

videmus. Idque hac ratione; Aërem quidem motum hunc continuum ſortitum, ſeparatum à craſſa & humida terræ aquæque materiâ, unà cum Sole & reliquis Aſtris. Humidum vero ſiccumque, quod in illa prima maſſa erat, eodem loco ſtetiſſe, propter gravitatem: ex humido mare extitiſſe, ex duriore terram lutoſam & inſtar limi primò mollem effectam: Deinde ardore Solis denſiorem evaſiſſe ſiccamque. Cui Diodoro Siculo videtur teſtimonium afferre, quod, quum Nili ceſſat inundatio, limum ab aqua relictum calefaciente Sole in terram dureſcat. Quod etiam nobis Batavis non eſt inſolitum: quibus multoties talis terræ productio contingit.

Habet hæc ſententia multum, quod conſentaneum eſt narrationi Moſis. Uti illud;
Gen. I. quod initio rerum terra fuit res informis,
nullam adhuc terræ idæam habens; inanis vacuaque ab omni ornatu & forma. Deinde tempore hanc formam cepiſſe, quam conſpicamur. Aliqui etiam Philoſophorum rudem illam maſſam informemque ſenſerunt non tantum in tempore formam accepiſſe, ſed etiam ex nihilo creatam. Hæc quidem rectè & divinæ veritati ſimilia. Ille verò error craſſus aliorum, qui chaos illud dixerunt æternum; quum Moſes dicat eſſe ex nihilo à Deo creatum. Qua quidem in re eſt illud ingens & immane diſcrimen inter Deum & alios mortales fabros; quod hi

hi nihil forment niſi ex præexiſtente materia, Deus autem mundo non modo formam dedit, ſed & materiam fecit. Hallucinatio autem ea eſt priorum & à ſacra ſcriptura Moſiſque dictamine prorſus aliena, initio cælum fuiſſe permixtum terræ; quum Moſes teſtetur fuiſſe cælum ſeorſim & prius creatum; non autem terræ permixtum.

Illud etiam rectè à Philoſophis cogitatum, quod aquæ à terrâ ſint disjunctæ, & aquæ mare ſint, arida vero terra facta. Sed illud minus rectè, & Moſi diſſonans, quod humiditas aquarum quaſi terræ permixta fuerit, & quaſi vaporatione Solis ardore extracta in mare confluxerit: quum Moſes teſtetur terram aquis quaſi involutam ac circundatam fuiſſe; aquas autem à Deo fuiſſe à terra ſeparatas & in mare congregatas.

Hæc de ortu & prima geneſi Mundi. Eamus jam viſum, quid ſit de origine hominis, mundi totius Domini & Patris Familias. Hîc ſecus evenit ac cum aliis dominis & eorum ædibus: nam illi plerumque priores ſunt, quam ædes, quas ſibi parant. Quamquam Deus, tanquam providus humani generis parens, voluit prius huic ſuæ proli dilectæ proſpicere de pulchrâ & bene inſtructa habitatione, quàm eam conderet, ut quam optime ipſi poſſet eſſe ſimul ac eſſet.

Qui Mundum æternum ſenſerunt, hominem quoque æternum ſenſerunt: in eo quidem ſacræ Scripturæ convenienter, quod ſimul ac mundus extitit etiam homines orti ſint: ſed de æternitate nugantur & ab ea longe delirant. Rectius alii phyſicæ ſapientes, qui ut Mundum, ſic hominem generationis initium tempore eſſe ſortitum: in eo Scripturæ veritatem aſſequuti; ſed de ratione generationis multum diſſident. Siquidem plerique omnes ſapientes, ethnici, præſertim antiqui Ægyptii, arbitrati ſunt, hominem & reliqua animantia eandem habere originem à terrâ, humore ac Sole: idque hoc modo, quem Diodorus Siculus paulò fuſiùs deſcribit.

Lib. 1. biſtor. cap. 1. *Quod nimirum terræ concreti ſint multi humores: in quibus contectæ ſunt putredines quædam tenui pelliculâ, quæ virtute Solis, ad ſummum productæ, adveniente veluti partûs tempore, exutis confractiſque pelliculis educunt omnis generis animantium formas.* Imaginari hic licet, ita ſcilicet Tauros, & Oves, Tigres, Leones, Elephantes excluſos ex his pelliculis, uti alaudæ, paſſeres, columbæ, anates & omne gallinaceum genus prodeunt ex ovis, perrupto pertuſoque roſtris ſuis putamine.

Hanc animalium gignendorum rationem omnium primam confirmari omnino dixerunt eo; quod juxta Thebaidem, Nili ceſſante inundatione, limo ab aqua relicto, & Solis calore

calore calefacto, ex terræ hiatu multitudo murium oriatur, & quidem valde magnorum: *quorum* (ut Siculus narrat lib. 1. cap. 2.) *homines viderint cum ſtupore anteriorem partem uſque ad pectus & priores pedes moveri animatam; poſteriori adhuc informi & nondum inchoatâ.* Quod eodem non prorſus divaricat à vero. Omne enim genus inſectarum indies adhuc producitur ex humore putrefacto, aut putrefactis animalibus; ut muſcæ, culices, cimices, formicæ & alia ejuſmodi animalcula, quæ Scaliger pater ſolebat vocare *peccata naturæ.* Notum eſt illud è Judicum libro cap. 14. de apibus & melle procreatis ex cadavere interfecti à Samſone Leonis. Ranas perfectas refert Julius idem ſe vidiſſe ortas uno die naturali ex aquis limpidiſſimis deductis ex hiatu rupium, nullis pridie ovis apparentibus: Exercit. CCCXIII. Mures item naſci ex quiſquiliis in navi aſſerit: & in aëre non ex ovo, ſed ex genitali aquâ cæleſti condenſatâ calore ranas natas. Narrat itidem mihi acumen illud ſingulare Italiæ, in quodam oppido Santonicæ præturæ, tantum ranarum pluiſſe, ut cumulatim totæ viæ tegerentur. Quin illud addam, quod compertum eſt plurimis, poſſe confici induſtria humana aliqua genera piſcium junctis naturalibus cauſis, quas conjungere oportet. De anguillis conficiendis modum teneo, uti mihi eſt relatus, nec

celabo qualiſcunque ſit. Menſe Majo, cum largiter rorabit, ſeca aut diſcinde ligone ex campo graminoſo; ante ortum Solis, duos æquales ceſpites, eoſque impoſitos alterum alteri ubi graminoſi ſunt, repone in ipſo margine alicujus piſcinæ, à parte aquilonari, ubi Sol radios ſuos maximè emittit: videbis inde perpullulare quaſi examen pullorum anguillarium ante horas paucas elapſas. Sic quidam cum non pœnitendo fructu piſcinis ſuis anguillarum numeroſam copiam ingenerant. Sic animalia ratione carentia orta ab initio multi veterum Philoſophorum exiſtimavêre.

Differentiæ animalium cauſam hanc attribuunt, juxta Diodori narrationem; quod ea, quæ majorem ſunt ſortica calorem, in ſuperiorem regionem volatilia effecta abierunt. Quæ verò plus terræ continebant, ſerpentia aliaque terreſtria animalia evaſerunt. Naturam aquoſam nacta, in ſui generis elementum delata ſunt, & appellati piſces. Terram deinceps tum Solis ardore, tum ventis indies magis arefactam à gignendis majoribus animalibus (non quidem muſcis, vermibus & aliis inſectis, quæ nempe etiamnum cottidiè à Sole è putredinibus generantur) deſiiſſe: ſed quæ ſemel generata erant, mutua commixtione alios animantes procreaſſe.

Jam verò eundem ortum ac generationem deputarunt illi homines terreſtres, &

ſa-

ſapientes pſychici etiam nobis hominibus: ut ſcilicet ex latente humore terræ pellicula obducta vi caloris velut in putamine concluſi fotique ſimus in primo noſtro parente, eoque prorepto prodierimus: indeque à primis parentibus quotquot ſecuti ſumus homines commixtione genitorum noſtrorum facti ſimus, quod ſumus. Neque mirum igitur, ſi non ſane pro fabula habeatur; quod Leda complexu magni illius Divûm ac hominum Regis Jovis in Cygnum transformati duo ova pepererit, atque ex eorum altero Pollucem & Helenam, ex altero Caſtorem & Clyennestram, tanquam ex Cygni ovis excluſos eſſe.

De plantis & arboribus herbiſque non ita quis à verò aberraverit fortè, ſi dicat omnes, etiam maximas cedros & robora, internâ vi matricis terræ à primordio excreviſſe, nullâ adhibitâ externâ aut ſeminatione, aut plantatione facultate hâc initio rerum telluri traditâ. Namque id quotidiana natura multarum plantarum herbarumque novarum aſſeverat, quæ hîc illic per orbem terrarum potentia cæleſtis genii, quæ natura eſt, prorumpunt: calore Solis, tanquam cauſa activâ, eas genitali ſua facultate eliciente & fermante.

In hac opinione de ortu & generatione brutorum plantarumque hoc rectè ac à ſacra Scriptura non abhorrens, quod de ter-

ra materiam ſui ortus habeant, uti & piſces de aqua. De piſcibus ex aqua productis aſſerit Moſes Gen. 1. ℣. 20, 21. quum ait, *Deum juſſiſſe initio, producant aquæ reptilia animantia, atque ita aquas produxiſſe maximos cetos & omnia animalia repentia ſcilicet in aquis*, id eſt natantia. Nam de iis reptilibus quæ in terra repunt aſſerit Moſes ℣. 24. *quod è terra ſint producta*. De reliquis terreſtribus animantibus incedentibus pedibus verſu eodem 24 & 25. aſſerit, *quod de terra genus ſuum ducant*. De volatilibus veriſimillimum videtur ex Moſe, *quod tam ex aqua, quàm terra originem ſuam habeant*: id doctiores Judæi ſentiunt: idque ideo, quod capit. Gen. verſu 20. dicatur, *Producant aquæ reptile & volatile, quod volet ſupra terram*: verſu vero 22. cap. 1. & cap. 2. ℣. 19. Moſes jungat volatile cæli beſtiis agri, dicatque *Deum formaviſſe tam aves è terra quàm iſtas*. Unde plerique doctiores Judæos ſequuti volucribus ortum attribuunt de terra ſimul & aqua: alii verò ex ſola terra, ob verba verſus 22. cap. 1. & 19. cap. 2. alii autem de ſolâ aquâ, ob verſum 20. & 21. cap. 1.

Quid ni autem res iſta juxta ipſiſſima Moſis verba ita ſe habere poſſit; ut dicatur quoddam genus avium eſſe ortum ex aqua & terra junctim; ut cygnos, anſeres, anates, querquedulas, mergos & omnes il-

las

las quæ tam in terra incedunt, quam in aquis natant? Aves autem illas, quæ ab aquis abhorrent eaſque fugiunt, originem ſuam habere è ſola terra? atque reſpectu utriuſque generis, Moſen his ſolam terram pro origine tribuere, illis aquam & terram? Certè videntur habere aquatiles illæ aves plus aquei, quam in ſola terra ſedem ſuam habentes: carnes tum illarum humidiores & ponderoſiores ſunt; harum verò ſicciores & leviores. Terra porrò per ſe ſicca eſt, ſed aqua aliqua mixta humida & gravior.

Hactenus quidem de eo antiquis Philoſophis cum Moſe convenit, quod terra & aquæ genialiſque cæli Solis præſertim calor, ipſaque limoſitas & putredo terræ inhærens ſint origo piſcibus, animalibus terreſtribus & avibus. Sed in eo à Moſe diſſident quod cæcâ quadam opinione exiſtimarint quod elementa illa ſenſum nullum habentia, à ſuâ naturâ hanc habeant fœtificandi vim atque energiam; cum Moſes innuat, eam ipſis inditam à Deo ejuſque potente & omnia efficiente verbo; quo dixit aquæ terræque creatæ; *Producant hæc animalia terreſtria & aves, illa piſces & aves aquatiles.* Adeo ut & terra & aquæ ſint cauſa materialis ſubſtantiæ omnibus animantibus, Sol, Aſtra cælique calor cauſa activa & velut inſtrumenta, ſed Deus cauſa primaria efficiens. Eam ob

ob rem Moſes diſerté addit, Gen. 1. 25. & cap. 2. 19. *Quod Deus fecit & formavit è terra beſtias terræ.* Hæc vero de brutorum origine & generatione ita verè ſe habent; quod ex limo terræ & à calore Solis ad hunc modum ortum ſuum ducant.

Quid verò antiqui illi & cani mundi ſapientes, Philoſophi, Gymnoſophiſtæ, Bracmani, Druides de origine & geniturâ hominis, non modo omnium reliquorum animantium, terræque cunctæ & maris prolis Regis, ſed & ipſius terræ, aëris, oceani, cæli aſtrorumque Domini? Eandem nempe illi aſſignant, è terrâ, aquâ, putredine, per cæli aſtrorumque calorem, concretionem coagulationemque. Id opinionis illis attribuit doctus ille Siculus, polyhiſtor & humanæ ſapientiæ pereruditus: ſcilicet ut mures in Thebaide Ægypti, ſic homines primos è limo Nili prorepſiſſe primò capite, brachiis, pectore & umbilico tenus poſteriori parte adhuc informi nec inchoata: quæ poſtea prodierit.

Diodori hiſtor. lib. 1. cap. 1, 2.

En quæ phantaſia & illuſio humani cerebri, ſomnio ægri non abſimilis! Hoc quidem in eo verum, & Moſis revelationi conveniens; terram ejuſque glebam fuiſſe originem materiæ primi hominis, ex qua potentia divina eum formavit, quod ad corpus, carnem & oſſa: quæ tum notitia

Gen. 1.

titia videtur illis ſapientibus è longinquo à Moſis philoſophia alluxiſſe, velut coruſcatio quædam fulguris: Sed ut reliqua hominis generatio fuerit, ut pecudum, ovis boviſque: Illius, inquam, qui habet animam divinam, immortalem, numini proximam, affaniæ, amentia! Corpus homini à terra; quod potuiſſet Deus quoque creare ex nihilo, ſicut ipſam terram: ſed placuit id ei, ut ſic doceret hominem, ne ob cæleſtem animam nimis ſe ſuperbè attolleret, memor, quod è dimidio ſit pulvis & cænum. Sed animus ejus, potiſſima ejus pars, quomodo ſic originem ſuam habeat de terra & luto? Ille ſcintilla eſt aut flammula ſpiritus æterni, ſingulari prærogativa ipſi, præ omnibus aliis ſub cælo creatis, à Deo inſpirata, ſpiritibus ætheriis Angeliſque agnata; non mixta & confuſa corpori, ſed eam inhabitans, uti Rex habitat in ſua regia. Eſt illud immotum & inconcuſſum axioma Philoſophorum, *Simile produci à ſuo ſimili*, nec poſſe provenire à re aliqua ſui diſſimile: qui ergo à terra & luto animus, inter quem & illa tanta eſt diſſimilitudo, quanta eſt inter Solem & lutum?

Hominis igitur animæ rationalis & mentis, quibus præcipuè eſt homo, differtque à reliquis omnibus animantium ſpeciebus, purè putè origo eſt à Deo; nihil à terra aut limo & aqua: calor & flam-

ſtamma, quâ mens ei accenſa, ſpiritus Dei. Proinde eſt atrox illa & bruta aliquorum ethnicorum Philoſophorum audacia, ut & quorundam, quibus doctrina Chriſtiana non eſt ignota, pronunciare planè, eandem eſſe originem & progenerationem ex ſola terreſtri materia & putredine, totius hominis, quæ eſt brutorum. Cujus inconditæ & prophanæ opinionis Julius Scaliger inſimulat Hieronymum Cardanum.

Exercit. contra Cardanum 323.

Quum verò conſtitutum jam ſit, de origine & ortu animantium hominiſque; videamus jam porrò, ubi terrarum initio tam hic, quam illa ſint orti & collocati; tum quomodo utrique ex primis ſuis ſedibus, per univerſam terram tranſierint, ejuſque varias regiones repleverint inſederintque.

Ubi gentium terrarumque primus ortus fuerit hominum, non minus pleræque gentes fervidè contenderunt; quàm

A. Gellius lib. 3. cap. 11.

Ἑπτὰ ἐριδμαίνουσι πόλεις διὰ ῥίζαν Ὁμήρου,
Κύμη, Σμύρνα, Χίος, Κολοφών, Πύλος, Ἄργος, Ἀθῆναι.

Litem ſeptem urbes miſcent de Patria Homeri;
Cumê, Smyrna, Chius, Colophôn, Pylus, Argos, Athenæ.

utque

Utque hæ ipſæ Athenæ ſibi hanc lauream de Homeri patria natalique loco voluerunt vendicare, ſic ſibi quoque arrogârunt primatum de origine hominum: ab aliis ſe proveniſſe noluerunt agnoſcere: ſeſe dixerunt Aborigines & Autochtones, ex limo ſcilicet Peloponeſi exrepentes ut fungos betaſque. Ei documento voluerunt Athenienſes eſſe cicadam, quam effigiatam ex auro aut viliori materia gerebant in pileis, non ſine oſtentatione: ut nempe indicio eſſet, non minus ſe terrigenas, quam illud inſectum ex cæno, abſque patre aut matre ortum eſt: atque ita à ſe vicinos aliquot populos exſtitiſſe.

Nullatenus, nullatenus! obſtrepunt hic Moſch-Apithreſci Ægyptii: Non ita nobis ſinemus eripi hanc laudem, quam nobis aſſerimus deberi, non minus, quàm palmam ſibi poſcit, qui vincit pancratia certamine Olympico: Nos Aborigines ſumus, nos veri Autochtones è terra noſtra, non aliter quàm ex matre geniti. Atque ex eo perſpicuum poſſe eſſe, ajunt, primos homines ab ipſo orbis ortu Ægyptum protuliſſe, quod mures ibi ſponte è terra ſint prognati; nulla enim orbis parte accidiſſe eo modo animalia ulla creari. Deinde dicunt, & felicitate atque ubertate ſoli atq; optimo aëris temperamento, quæ genuit, ſuapte natura, facillimè nutrire: namque præbere eam ad promptum cibum arundinum radices, loton & fabam

Diodor. Sicul. lib. 1. cap. 2. fabam Ægyptiam, multaque alia ad victum hominum comparata. Sic aliæ quædam gentes penes ſe volunt inque ſuis regionibus primordia generis humani extitiſſe: ſed nugæ hæ ſunt & Apinæ.

Unus Moſes ipſiſſimam hujus rei veritatem prodit nobiſque inculcat. Is non Peloponeſum Europæ, non Ægyptum Africæ, ſed Aſiam hoc honore donat; quod in ea homo ex terra matrice ortus obſtetricantibus divinâ omnipotentiâ & ſapientiâ. Ille, *Gen. 2. 10.* nos docet, primos homines, ac totius generis humani parentes fuiſſe Adamum & Evam: eorum ſedem & patriam in Hedene. Ubi autem ac quâ terrarum parte Heden fuerit, quæque regio, de eo multi viri doctiſſimi diverſimode ſentiunt. Nullus *Notis in Geneſ. cap. 2. v. 10. edit. ejus poſtrema.* autem accuratius & veriſimilius, meo quidem judicio, eùm deſignat, quàm Polyhiſtor ille Franciſcus Iunius. Ille Hedenem dicit eſſe regionem eam, quæ eſt in Meſopotamia, circa *Babyloniam Auranitidem*, aut ipſam *Babyloniam*; ſitam, juxta Ptolemæi aſſignationem, prope *Apameam*, inter *Euphratem* & *Tigrim*, ſubter *Seleuciam* intra latitudinis gradum 33. & 35. longitudinis verò 79. & 81. Idque ita probat luculenter tum aliis rationibus, tum præſertim dictiſſimâ commentatione de quatuor fluviis, quos Moſes teſtatur tranſiiſſe regionem *Hedenis*; nempe Piſchonem, Giſchonem, Chidekelem & Euphratem; ut

nulli

nulli alii regioni illa aſſignatio probabilius poſſit convenire, quàm terræ Babyloniæ.

Si verò Ægyptii ſe inde jactare volunt quod omnium populorum ſint primi, quod tellurem habeant præ aliis nationibus ob uberem fertilitatem, cum primis, alendis hominibus, quos produxerat, aptam: id nulli populo convenientius quadrat, quàm qui orti ſunt in regione *Hedenis* & circum circa. Nomen *Hedenis* id approbat: ſignificat id delicias, amænitatem; quæ precipue ex felicitate ſoli & cæli. Viridarium id indicat beati illius Paradiſi, cujus hortulanus ipſe Deus; quo Solis oculus nihil ullibi terrarum pulchrius aſpexit aut opimius. In eodem tractu, & climate, quaſi ſub uno cælo, inque eâdem provincia, reſpectu totius mundi, eſt terra ſancta *Canaan*; quæ fluxit lacte ac melle: ubi botri tam grandes, ut pondere ſuo duos bajulos delaſſârint; Ad eorum vineum generoſiſſimumque liquorem nihil tota Ægyptus oſtentare poſſet ſimile. Cujus omnibus aliis terris præcellentem ubertatem ſcriptis ſuis decantârunt & admirati ſunt etiam ipſi profani hiſtorici. De quâ Curtius aſſerit, *quod reſudans toto ferè ſolo humor, qui ex Euphrate & Tigri, per aquarum venas manans ſolo Babylonico felicitatem affert maximam*; non minus, quam *Nili* humiditas *Ægypto*. De quo Plinius teſtatur, quod *ſegetes bis in anno ſecentur, tertiò depaſcantur; ubi ſoli eſt maxima* *Hiſtor. naturalis lib. 18. cap. 17.*

ma exilitas, ibi meſſes reddere cum quinquageſimo fœnore; ubi latius, etiam cum centeſimo quinquageſimo. Adeo ut provida philanthropia divina, in nullam meliorem ſedem primum hominem, ipſique, ob illibatam adhuc integritatem dilectum collocare, quam in Hedenis confinia, potuerit.

Idem ferè ex eo colligi poteſt, quod à condito primo homine uſque ad diluvium nulla deductio hominum ultra viciniora Babyloniæ loca: nullæ res geſtæ reperiuntur alicubi contigiſſe, quam circum circiter eadem: Peregrinatio Caïni, vel fuga ejus atque exilium, quod notatur Geneſ. 4. 16. fuit in terra Nodi; quæ regio fuit, ſecundum meliores Geographos, in deſertâ Arabiâ: ibidem circum circa fabricata eſt arca. Nec ullæ ſunt hiſtoriæ, quæ ulteriores commigrationes extra Aſiam, & quidem aliquas ejus partes, *Meſopotamiæ, Hedenique* non ſatis vicinas, commemorent. Nam nihil ulterius longinquiuſve factum actitatumve annotat Moſes: Is verò multis paraſangis omnes alios hiſtoricos antecedit. Nec enim mirum eſt, uſque ad tempora Diluvii copioſiorem hominum multiplicationem non fuiſſe, quàm quibus magna pars Aſiæ habitari colique potuit: quum ejus primordium cæperit ab unico Adamo & Eva. Moſes certè, ſi qua alia longinquior diductio

ctio hominum fuiſſet, non magis eam recituiſſet ante diluvium factam, quàm poſtea: quando diligenter & accuratiſſimè omnes populorum diſperſiones, quæ per Aſiam, Europam, Africam à Diluvio contigerunt, enarrat.

Quæ autem cauſa fuerit, cur potius Deus in Babylonia Hedeneque voluerit primos homines creare & collocare, quàm in alia aliqua vel Aſiæ, vel reliqui orbis parte, quis tantus Apollo, ut hoc meliùs dicat,

Quàm quibus in terris cæli non ampliùs ulnas
Tres pateat ſpatium?

Quòd ſi verò alibi, non ibi hoc fuiſſet factum, itidem rogare poſſes, cur potius alibi, quam in Babyloniæ tractu. Aliqua tamen cauſa ejus ante eſt notata.

Si vero altiùs ea eſt rimanda, num fortè aliquis valde erret à ſcopo, ſi dicat, ideo voluiſſe in illo mundi loco, aut prope eum, ortum generis humani fieri, ubi deſtinaverat æterna ſua præſcientia ponere ſuum *Sanctuarium*, in quo rectè ab homine coleretur; quod factum fuit *Hieroſolymis* in regione *Paleſtinæ*, prope propter ſub eodem cæli climate? Ac cur non ſe potuit *Heden* extendere in tantum ſpatium, quantum eſt inter *Babylonem* & *Judæam*, quum multi

multi ſub eo comprehendant ingens illud ſpacium, per quod quatuor Hedenis fluvii longè latéque ſe diffundunt? Tum etiam, quia circa eundem ferè locum naſci Deus voluit & exoriri generis humani Redemptorém, & vitæ æternæ ſalutem homini reparare: ut ſic inibi, ubi lethiferum vulnus à tartareo ſerpente acceperat, contrito draconis capite, medicinam animæ reciperet? Conſilia & myſteria Dei næ ſunt profunda! ecquis certò dicat hoc procul abire à vero? Sanè pietati Chriſtianæ non adverſatur.

Oſtenſo jam, quod *Hedenis* pars illa, in qua ortus primus eſt homo, primaque ejus domus fuerit tractus *Babiloniæ*: pergamus porro animadverſum, quomodo inde progreſſu temporis in reliquas terræ partes ſit facta progreſſio & commigratio hominum. Reverà quotquot poſtea provinciæ, regna regioneſque fuerunt inhabitatæ, fuerunt totidem *Hedenis* coloniæ. *Ægyptii* ſibi hanc quoque dignitatem ſumma aut impudentia, aut inſcitia volunt ab *Hedenitis* furari. *Athenienſes*, quin & alios multos populos per Africam, Aſiam atque Europam volunt à ſe proſeminatos plantatoſque, & quidem ante aliquot millia annorum, (ut ex *Herodoto & Diodoro* eſt videre) quum neque Athenienſium ſolum cælumque, neque ullarum nationum aliarum, neque ipſi, neque ipſe omnino exi-

exiſteret mundus. Quorſum igitur tam impudens craſſumque mendacium?

Miſſis igitur his Ægyptiacis tricis, ſequamur veſtigia divini noſtri Moſis: Ex eo ante diluvium, extra Aſiam ullam hominum propagationem fuiſſe factam, uti antea attigimus, non poteſt colligi. Hic igitur eam nos quoque ſiſtamus. Præſtat enim ſilendo cum Moſe de ea re nihil ſtatuere aut pronunciare, quàm aliquid non verum aſſerere abſque Moſe. Præſertim quum illud inquirere nobis ſit propoſitum, quomodo hominum diffuſio facta ſit, non ante, ſed poſt diluvium.

Diluvium aliquod fuiſſe horrendum, quo totum non ſolum genus humanum, ſed & animalium terreſtrium volucrumque fuit deletum, exceptis admodum paucis ex unoquoque genere, in confeſſo eſt apud omnes gentes, Chriſtianas, Judæas, ethnicas, barbaras; celebratumque ab omnium nationum hiſtoricis. Quamquam, præter Moſen & eum ſequutos Judæos, Chriſtianoſque ſcriptores, omnes ethnici in eo non parum ſunt hallucinati, & à Moſis vero oraculo recedunt. Id quod lucis à Moſis hiſtoria acceperunt (nam non plus de eo toto viſu proprio vidiſſent, quam talpæ aut veſpertiliones, niſi ex Moſis hiſtoria accepiſſent) involucris ſuis tenebricoſis obſcurârunt.

De

De cauſa finali hujus diluvii mirum eſt quantopere profani Scriptores concinant Moſi: nempe quod Deus eo vellet perdere impios illos Gigantes, omneſque alios ſceleratè viventes atque adeo adverſus eum rebellantes, ut immani erecta altiſſimaque mole, Deum ipſum propoſuerint oppugnare in cælo atque inde eum quaſi deturbare. Cauſam vero efficientem aliqui audent hujus cataclyſmi pronunciare fuiſſe aſpectus & concurſum Aſtrorum omnium concitantium tantam vim aquarum operatione ſuâ & vi phyſicâ: idque eò, quod hic concurſus tum fuerit in ſigno Capricorni; qualis ſi contingeret in Cancro, ſigno ſolſtitiali & æſtivo, futurum eſſe ut æſtu mundus conflagraret: ac ſi denuo in Capricorno, ſimilem expectandum cataclyſmum: [Perotus pag. 538. 56.] At quam id futile ſit, ex eo clarum eſt, quod anno 1528. ſimilis concurſus ac ſynaſteriſmus ſtellarum fuerit, qualis tempore diluvii, nec tamen ſimilis inundatio extiterit. Certè unus Deus author effectorque hujus diluvii. Cujus ira, ob ſcelera mundi, inflammata, reſtinguere potentiâ ſuâ ea voluit tam horribili aquarum concumulatione.

Prima *Paganorum* à Moſe aberratio eſt de nomine eorum, qui ſuperſtites à diluvio fuerunt, & per quos reſtauratio generis humani in reparato mundo eſt facta; uti & de numero. Moſes dicit ſervatos fuiſſe

in arca homines octo, viros quatuor, Noachum patrem cum tribus filiis, Shemo, Chamo, Japheto, ſingulosque cum ſingulis uxoribus, quas Moſes non nominat. *Pagani* duos tantum, *Deucalionem* regem *Theſſaliæ*, filium *Promethei*, cum uxore *Pyrrhâ Epimethei* patrui ipſius filiâ. Sunt quidem alii, qui putant diluvium, quod tempore Deucalionis fuit, non fuiſſe idem quod tempore Noachi: illud enim fuiſſe tantum ſuper *Theſſaliâ* & vicinis aliquot regionibus, aliud verò fuiſſe longè majus ſuper toto orbe. Plerique tamen ſcriptores ethnici ſenſerunt *Deucalioneum* eſſe univerſalem illum cataclyſmum, qui fuit tempore Noachi.

In eo quoque convenit *Paganis* cum Moſe quòd *Deucalion* cum *Pyrrha* uxore ſit ſervatus navigio, ut Noachus cum uxore ſua, tribus filiis nuribuſque in navali domicilio magnæ illius arcæ. Sed in eo à Moſe diſcrepant, quod illi arcam, finitâ inundatione, dicant conſediſſe in culmine *Parnaſſi*, qui mons eſt *Theſſaliæ*; hic verò in monte *Ararato*, qui eſt mons majoris *Armeniæ*, ubi jungitur mari *Caſpio*, imminetque *Aſſyriæ* & *Meſopotamiæ* (unde *Noachus* arcam erat ingreſſus) non procul à monte *Tauro*: quem montem Curtius vocat, à Chaldæis mutuata voce, *Cordæum*; Ptolemæus atque alii *Gordiæum*.

Locus inſuper proprius, ubi reſtauratio

humani generis facta fuit, non fuit *Parnaſſus* aut *Theſſalia*, uti *Pagani* commentantur, ſed haud dubie *Hedenis* provincia *Babylonica* & planicies *Senear*. Etſi enim Noachus cum ſuis in monte *Gordiæo* arca exierit; quis dubitet, quin terra arefacta, rurſus ad ſedem patriam redierit? ut ſic renaſceretur humanum genus ubi initio productum fuit?

Deinde in modo reparandi humani generis Pagani bis per omnes diſſonant à Moſe chordas. Moſes id factum naturali propagatione marrat, per uſitatam viri fæminæque conjunctionem. At illi quid? Larvas nobis depingunt, & riſum movent ipſis etiam pueris. *Deucalionem* ajunt contriſtatum de interitu humanæ proſapiæ, quum videret ſe cum ſola uxore relictum, atque, ob ſenectutem gravem, utrumque progenerationi impotentem, conſuluiſſe oraculum *Themidis*, ut conſuleret, quo pacto regenerari homines poſſent: Illam ænigma reddidiſſe; ut ſcilicet ipſe uxorque *Pyrrha* trans humeros oſſa matris ad tergum jacerent, inde mox homines proventuros. Ejus verò ænigmatis enodandi *Oedipum* ipſum fuiſſe *Decalionem*: qui matrem hanc terram eſt interpretatus, oſſa verò ejus lapides: perſuaſiſſe autem uxori ut oraculi conſultum ſequerentur: moxque collectis lapidibus eos retro ſe jactitaſſe, atque è veſtigio quos *Deucalion jece-*

rat

rat lapides, viros factos, quos *Pyrrha*, fœminas. O vanas hominum mentes! Hem! quæ ludibria! Mente concipiatur, annon horrore contremuerint à nova ſua ipſamet ſobole ipſe *Deucalion* & *Pyrrha*, velut à ſpectro ſubito comparente, atque ipſi liberi annon terrore concuſſi ſint, tanquam ab hoſte, viſis primo nunquam ante viſis parentibus ſuis? Sed agè, omittamus has fabulas. Ac poſtquam ſatis nunc conſtat ubi, à quibus, quoque modo genus humanum à Diluvio renatum atque auctum ſit, videamus inſuper, quæ familiæ populique à Noacho & filiis ejus oriundi ſint, & in quas Regiones progreſſi eas occuparint.

A Noacho ullos alios liberos eſſe genitos aut ſuperſtites manſiſſe in *Arca* præter tres, *Shemum*, *Chamum* & *Japhetum* ex Sacris literis non apparet: aut ab eo ullas alias gentes proveniſſe, quam per tres illos filios. Ubi hoc memorabile notandum eſt, Gen. 10. quod, etſi Noachus à diluvio nullos alios filios aut homines è corpore ſuo proprio produxerit, tamen verus parens ſit per filios humani totius generis in ſecundo reſtaurato mundo, non minus, quàm Adamus prioris in primo mundo. Quæ autem poſteritates & Nationes ex iis oriundæ ſint, quoque tranſmigrarint diſerte ac nominatim Moſes aſſignat: præter illas vero à nullo exortæ ſunt aliæ. De tota autem illa populorum nationumque genealogia,

nullus, ad meum quidem ſenſum, ſtudioſius, penſiculatius & magis appoſite ad explicationem capitis totius Geneſeos decimi meditatus eſt, quam Phænix illa Biturigum Fr. Funius. Poſt quem aliquid commentari ſuper hac re deſino, quia non poſſem quicquam afferre in medium melius aut certius. Illud totum huc transſcribere eſſet actum agere; & alienæ meſſis plena plauſtra in horreum proprium inferre. Qui igitur de eo enucleâtius cupiunt doceri, Junium adeant.

In ſynopſi tamen proponam, qui præcipue populi ex quoque trium illorum filiorum Noachi per Aſiam, Europam & Africam propagati ſint, idque ad filum capitis illus decimi Geneſeos. Locus itaque, in quo ſeminarium omnium per totum mundum gentium comparatum fuit excrevitque, eſt planicies *Shinnear*, quæ eſt regio *Babyloniæ*, pars *Hedenis* in *Meſopotamia*.

Gen. 11: Ibi urbs prioris *Babylonis*, eſt condita, cum immani illa turri, cujus faſtigium volebant perverſi illi ædificatores erigere uſque in cælum. Inde facta eſt per totam terram a progenie filiorum Noachi diſperſio ac fætificatio omnium Nationum. Cujus rei occaſio fuit, quod homines illi, qui tum circa illam regionem *Sinnear* progeniti erant à filiis Noachi, uſque ad id tempus ferè omnes degenerantes à pietate primorum progenitorum, evaſerant impiiſſimi

a

ac feroces contemptores Dei. Qui ut impunius poſſent ſcelerate agere & libidini malè agendi tanto audacius obſequi; nec ob id, ut priores illi profani, qui in primo mundo diluvio deleti erant, eadem pæna afficerentur ac perirent, turrim altiſſimam illam ædificabant, & ei adjunctam maximam munitiſſimamque urbem *Babylonis*, quo ſic eſſent tuti ab omni malorum pænarumque inundatione, & ipſius, ut exiſtimabant Dei cælique telis. Quem furorem atque audaciam vere Gigantæam ac barbaram quo Deus reprimeret, confuſione eos percuſſit linguarum, non jam diluvio, ita ut alteri alteros nequeuntes intelligere, coacti fuerint à cepto ceſſare, & quam poſſent quique longiſſime à ſe invicem, tanquam ab hoſtibus ſuis cum familiis in diverſas regiones profugere. Hinc igitur facta eſt illa populorum diſſeminatio, & idiomatum linguarumque diverſitas. Ita omnipotens ille Mundi Dominus ex malo potuit elicere bonum. Oſtenditque non ſe alligatum uni modo ſcelera puniendi; ſed ad id millenis ſe inſtructum armis.

Notandum hìc in tranſcurſu, quod in eo aberrarint ſcriptores ethnici à S. Scriptura, quod non ſatis memores, quod ex eâ didicerant, quòd tradant audaciam illam, qua mole ingenti conjecta ex altiſſimis *Pelio*, *Oſſa*, *Olympo* montibus, Jovem cælumque oppugnare parabant, occa-

ſionem fuiſſe *Deucalionei Diluvii*, cum fuerit cauſa diviſionis linguarum. Sic nunquam non, quum à divina traditione & monumentis diſceditur, error committitur. Quanquam hoc homines Pagani luce naturæ animadverterint; duris nodis duros eſſe adhibendos cuneos, enormibus & inſolitis ſceleribus deberi graviſſimas inſolitaſque pœnas.

Intueamur jam ex Moſe progreſſum atque egreſſum è *Regione Shinnear* populorum, quique ex poſteritate Noachi eorum Principes fuerint aut Duces & κιφαλαιώται. Japhetum Moſes initio capitie 10. ponit de tribus fratribus poſtremum, licet fuerit primogenitus, quia volebat ab ipſo ordiri populorum genealogiam, ut ita contextus hiſtoriæ commodiùs connecteretur. De hac nationum propagatione hoc initio obſervandum; quod Japheti poſteri occupaverint ſeptentrionaliorem *Aſiæ Europæque* partem: Schemi vero progenies meridionaliorem Aſiæ: & Chami nepotes aliquam quidem Aſiæ meridionalis partem & totam penè Africam incoluerint. Ita ut Deus mira ſua providentia Shemitidis collocaverit medios inter Iapheti & Chami poſteros: eiſque tribuerit temperatiorem, meliorem, ſuaviorem & commodiorem Mundi plagam, Forte quia Schem ejuſque nepotes fuerint ſeminarium veræ Eccleſiæ chariſſimorumque Dei filiorum:

quibus

quibus ideo in illis locis, quæ *Hedeni* ejuſque delicioſo horto fuerunt propinqua, manſionem attribuit, ut ipſis eſſet teſſera ac ſymbolum, fore ipſos ejus olim paradiſi cæleſtis incolas, cujus ille terreſtris & inferior erat typus.

In ſingulari nomenclatura nationum explicanda ſequar Fr. Junium; quia ille mihi certior atque oculatior videtur omnibus aliis: & ſi alicubi forſitan diſcedit extra amuſſim (quod quidem oculus meus non poteſt percipere) propius tamen mihi ab ea recedere videtur, quam reliqui.

Iaphetus igitur ſtatuitur à Moſe, ex filio Gomero, proſeminator *Cimmeriorum* aut *Cimbrorum Aſiaticorum*; unde & *Albani* & *Phryges*, circa *Boſphorum, Phrygiam, Galatiam*, quæ interiora ſunt *Aſiæ*: ab iiſdem *Cimmeriis* aut *Cimbris Cimbri Europæi* tranſmigratione profecti. Ex Magogo oriundi ſunt *Scytæ*, *Carmani*, *Sarmatæ*. Ex Madaimo *Medi*, voce planè indicante originem. Ex Iavane *Iones*, arguente id nomine, & aliqui alii *Græci* haut dubie prope *Ioniam* incolentes. Ex Thubale *Iberi Aſiatici*: qui ſeminium *Iberorum in Hiſpania*. Ex Meſcheco *Cappadoces Moſinique* antiqui. Ex Thira *Thraces* prope *Pontum* & *Propontidem*. Rurſus ex Aſchenazo Gomeri filio populi *Ponti* regionis & *Bithyniæ* proceſſerunt, ut de his lacus fluviuſque *Aſcanius* apud *Bithynenſes* exiſtens

manifeſto innuit. Ab his populis poſtea commgiratione facta cum *Cimmeriis* ortos *Germanos* exiſtimat Carion in Chronicis, cui teſtimonio volunt eſſe *Aſcaniam familiam* etiamnum hodie illo antiquo nomine gloriantem: etſi nullum *Germaniæ* nominis veſtigium à Moſe ſit expreſſum. A Riphato altero Gomeri filio prognati ſunt *Arimphæi Paphlagoneſque* apud montes *Riphæos*. A Thogarma tertio Gomeri filio, incolæ *Armeniæ minoris*; quorum Reges *Tygranes* ſunt appellati voce quidem corrupta, attamen umbram adhuc aliquam retinente. Ab Eliſcha Javanis filio *Æliſæi* vel *Æoli Helladeſque* propagati: Ex Tharſchiſo coloni *Ciliciæ*, in qua *Tharſes* patria Divi Pauli: Ex Cithimo altero Iavanis filio *Cethidis* & citerioris *Ciliciæ incolæ Ciprique*; unde *Cetion Cypri* oppidum: Ex Dodamino, (qui 1. lib. Chronico: cap. 1. 7. vocatur Rodanim) *Dores* & *Rhodienſes*; quorum inſulam *Rhodom* aliqui volunt vi maris à *Doribus* avulſam, & è mari ſubito emerſiſſe.

Ex Chamo per Cuſchum progeniti ſunt *Arabes* in *Aſiæ* meridie: per Mizraimum *Ægyptii*: Ex Putho alii aliqui *Aphricæ* populi, prope fluvium, quem Ptolemæus *Phthut* appellat. Porro à Chami filiis eorumque poſteris pene omnes populi *Africæ* progerminaverunt. Aſcahano vero, quarto ejus filio, populi illi omnes qui re-

cen-

cenſentur à verſu 15. capitis hujus 10. uſque ad ℣ 20. qui longè latèque diſperſi fuerunt à terminis *Zidonis* per meridionalia & orientaliora Aſiæ loca, uſque *Indias Orientales* & ultra *Taprobanem*. Inter quos fuerunt *Philiſtæi*, *Samaritani*, *Sodomæi* & reliqui inimici poſterorum Shemi.

Schemo huic peculiaris hîc honos & laus à Moſe tribuitur, quod fuerit proſeminator filiorum omnium Heberi, id eſt *Hebræorum*, unde rectâ lineâ Magnus Abraamus & ſancta illa poſteritas Patriarcharum Prophetarumque, flos ille & medulla populorum omnium, peculium Iehovæ, συμπολίτῃ & gaudium Angelorum. In hujus Shemi terrena proſapia enarrandâ cætera Moſes eſt parcus; credo quia vix operæ pretium putavit, inſiſtere diu morarique deſcribendæ tranſitoriæ atque indigniori progeniei ejus, cui adſcripſit populi æterni & cæleſtis progenituram. Solius Ioktanis abnepotis Shemi proſapiam, eorumque aliquam terræ inhabitationem paucis attingit: de quibus poſteà, occaſione data, aliquid nobis differetur. Diutius autem morari in magis ſingulatim deſcribendis omnium Noachi filiorum eorumque poſterorum, per orbem terrarum ſedibus, non placet: ne actum quod bene eſt, agere iterum videamur velle: inſpiciatur de eo latius Fr. Iunius, & alii in hoc caput Moſis decimum, illiuſque materiam.

Talis itaque à Diluvio fuit generis humani & nationum diſtributio ex unica ſuperſtite familia Noachi per *Europam*, *Aſiam*, *Africam* earumque regiones. At quid de recenter cognito orbe? de *America* & *Magellanica* totaque *Auſtrali*, extra *Africam* & orientalem *Indiam*, mundi parte! Ad initium an illa fuit ab ullis omnino hominibus, ante diluvium habitata inſeſſaque? Certe non nihil eſt, quod dubios nos de eo reddat; aut potius non dubios, quod id non factum. Nullum ejus veſtigium præbetur ex Moſe, aut tota S. Scriptura. Aut ſi ita fuit, latere id potuiſſet illum non multiſcium, ſed divina inſpiratione, & ex accurata, de rebus humanis, diſciplina Ægyptiorum ferè omniſcium? Si latere non potuit, an ille id, in tam diligente traditione ejus, quod de hominum primordio & propagatione eſt, voluit non manifeſtare? Deinde an credibile eſt homines primos in meditullio Aſiæ ortos, inque ea veluti incunabulis auctos voluiſſe tranſmigrare tam longinque, trans maria & freta æſtuoſa, itinere multo incommodiſſimo, ad ignotam terram nec magis notum cælum; quum ante ſe, poſt ſe atque undique circumquaque haberent totam Aſiam, Europam, Africam cultoribus vacuas? regiones optimas, fertiliſſimas amæniſſimaſque, ad quas facilis continuata terra patebat aditus? Idque, cum primis illis temporibus nondum po-

potuerit eſſe tam diffuſa hominum progerminatio, ut *Europa, Aſia* & *Africa* nimis iis fuerint anguſta? Haut itaque aliter videtur ſtatuendum, quàm quòd *America* utraque aut tota *Magellanica* ab Adamo uſque ad diluvium à nullo homine fuit habitata, aut quæſita. Atque id quidem eò magis, quod nec Moſes, nec ullus locus ſacr. litt. indicium ullum faciant, uſque ad Diluvium progreſſos fuiſſe homines ullos habitatum ex *Aſia* ullam partem *Europæ*, aut *Aphricæ*: quæ tamen regiones planâ ſemitâ jacebant ante pedes oculoſq;.

Sed quid de eo? An poſt diluvium uſque ad tempora Moſis ulla hominum poſſeſſio in *America* & *Magellanica* fuerit? An ejus ullum indicium in Moſis hiſtoria, præſertim capite ſupra citato apparet? Uti Fr. Iunius caput illud explicat, ne verbum quidem ullum de ulla hominum tranſmigratione in eas partes, aut in eis habitatione facit.

Benedictus tamen Arias Montanus, in Appendice illa quam adjecit Bibliis Regiis, ut de tota proſapia Noachi, ſic de genealogia Schemi primogeniti Noachi, quædam herclè non contemnenda profert: è quibus conjectura fieri poteſt non obſcura, tempore Moſis idque circum circa de America & ejus habitatoribus aliquid fuiſſe cognitum. Aſſerit enim Montanus in *Peruana*, ad mõtes, qui ab Hiſpanis *Andes* vocantur, ſupereſſe adhuc urbem antiquiſſimam *Jukta* dictam.

Antiquit. Iudaic. lib. 1. cap. 9. & in catalogo poſterorum Noachi ad cap. hoc 9. ſub finem ejus addito.

dictam. Hinc colligit (id quod Junius de Juktame altero Heberi filio ejuſque poſterorum ſedibus in medio relinquit) quod à *Joktanis* nepotibus atque ex ejus latere oriundis *Peruana* fuerit occupata *Juktanque* urbs nomen auctoris illius gentis retineat. Idque eò magis, quod Moſes diſertè aſſerat, habitationem filiorum *Joktanis*, fuiſſe ad montes *Orientis*: eoſque dictos κατ' ἐξοχὴν *Montes Orientis*: quia longiſſimi ſunt omnium Montium, qui hactenus ſunt viſi: ſiti circa *Cuſco*, in *Peruvia*: ſeſeque porrigunt à tertio gradu ab Æquinoctiali circulo, tranſverſim uſque ad tertium gradum ultera Tropicum Capricorni, reflexo greſſu inde in figuram V. uſque pene ad ipſam Æquinoctialem recurrentes: quod duplex ſpatium eſt tranſverſim dimenſum ſexaginta globi terreſtris graduum, id eſt, miliarium Germanicorum nongentorum. Merito igitur per excellentiam dicantur *Montes*; non enim ſunt aut colliculi, aut terræ verrucæ, ſi quæ aliæ. Nec ideo putandum Moſen non diſignaſſe hos montes, quod eos vocet *Orientalis* aut *Orientis*: nam etſi nobis ſint occidentales, tamen, propter Globi convexitatem, *Bactrianis* illiſque *Aſiaticis* vicinis orientales ſunt; illis enim eſt oriens, qui nobis occidens.

Quandoquidem igitur Moſes filiis nepotibuſque *Joktanis* adſcribit ſuas ſedes ad hos *Montes Orientis*, quos probavimus ex

Ariæ

Ariæ Montani ſententia eſſe *Peruvianos* Andes, certè Moſis tempore, *Peruanam* fuiſſe aliquatenus inhabitatam & ipſi Moſi cognitam, quî non credatur?

Cognita autem & habitata *America* quod fuerit tam à parte Auſtrali, quam Septentrionali; id eſt, tam *Peruana*, quam *Mexicana*, ejus, ex ipſis ſacris Bibliis, colligi poſſunt non invalida probamina: Primo, narratur in iis, quod Salomon obtexit Domum Dei magnam, id eſt anterius templum *Hieroſolymitanum* auro *Peruajim*: ecce ipſum nomen *Perou*, ſive *Peru*. Ponitur autem duali *Hebræorum* numero, tanquam duæ *Perua*, quia *America* diviſa eſt velut in duo grandia membra, quæ referunt figuram duarum velut manuum ex iſthmo *Panama* & *Nombre de Deos*, velut ex uno carpo procedentium: quarum altera antiquum adhuc nomen obtinet, altera ab urbe metropolitana, & præcipuo totius illus Septentrionalis plagæ regno, *Mexicana* indigetata eſt. Quàm autem utraque hæc regio abundet auro hodierna experientia, & *Hiſpanorum* avaritia, regioque eorumque ærario, notius eſt, quàm ut probari oporteat: Et quidem auro optimo, quale id notatur fuiſſe, quo Rex Salomon Templum decoravit. Adhæc grandi inſtructa claſſe navali Salomon miſit ſuos in *Ophir*, atque inde ſibi adferri curavit ſingulis tribus annis immanem ſtupendamque

2. *Paralip.* 3. 6.

1 *Reg.* 9. 26. & 10. 11. 22.

que auri vim; ſcilicet quadringenta & viginti talenta; quæ efficiunt, juxta peritorum calculum, vicies quinquies centena & viginti millia aureorum.

Ophir autem ſeu *Oupher*, tranſpoſitione exigua vocis elementorum, an non *Perou* eſt? unde etiam aurum *obrizum*, velut *ophirizum*, pro optimo auro Plinio ac *Romanis* reliquis, probatum. Sunt quidam, qui putent (ex Joſephi Antiquit. Iudaicarum lib.8. cap.2.) fuiſſe hanc *Ophir Cherſoneſum auream*. Sed vix certo conſtat, quæ ſit Ptolemæi *Cherſoneſus aurea*. Aliqui eam putant eſſe inſulam *Iapanicam*, aliqui hodiernam *Malaccam* in regno *Siam*. Sed neutri convenit ſitus cæli, quem Ptolemæus ſuæ *Cherſoneſo* adſcribit: quin potius *Perua* convenit: Ptolemæus enim ita eam ſtatuit, ut per eam tranſeat *Æquator*: quod certè fit in *Peruana*. Joſephus vero regionem illam, unde ad Salomonem allatum ternis annis aurum, non vocat *Cherſoneſum auream*, ſed *terram auream*, uti jure *Perou* nominari & *America* tota poteſt, ob auri abundantiam. Tum ex eo conjici poteſt voluiſſe Joſephum innuere *Peruam*, quod dicat eam olim *Sophiram* fuiſſe dictam, quam Arias Montanus dicit illam regionem fuiſſe, in qua *Andes* montes ſunt, *Sepherumque* fuiſſe illos montes, quos Moſes ſupra citato capite vocat *Montes orientis*. Atque ita confirmat fere Jo-

ſephus

ſephus Montano, quod non vano augurio *Andes Peruanos* judicet montes *Sepherinos* eſſe. Huic conſentaneum eſt, quod Joſephus dicit illam fuiſſe terram *Indiæ*: eſt utique *Peruana* & *Mexicana Occidentalis India*. Tum illud non abnuit fuiſſe *Ophir* & *Peruajim* Salomonis regionem auream, quod 1 Reg.9.dicitur inde allata pretioſa ligna, ſimias, ebur,pavones aut pſittacos: ibi enim adhuc hodie animalium illorum magna copia, tum adhuc inde adportantur varii generis pretioſa ligna, ut Guaiacum, Braſilianum & ſimilia. Præterea ex rubro mari, ubi Salomon claſſem ſuam comparavit, *Americam* verſus non impedita aut difficilis potuit eſſe navigatio; nam præternavigando *Aphricam* rectus eſt ad eam curſus. Quæ omnia ſanè veriſimillimum efficiunt, *Ophir* & *Peruajim* Salomonis eſſe ipſam *Americanam terram*. Cui tum penè infallibile argumentum eſt illud, quod tres annos impenſos ſacra Scriptura commemoret, ut navigatio hæc perficeretur: ergo longinquè illa regio *Ophir* debuit eſſe ſita. Quomodo autem ſomniari poteſt, vel ad *Iapanenſem* inſulam, vel ad *Malaccam*, vel ullam omnino *Indiæ orientalis* partem, opus fuiſſe trium annorum, à *Sinu Arabico*, expeditione? cum longiſſimi ad illas ſpatii enavigatio perfici queat trium menſium tempore? At antequam *Peruanam* & *Mexicanam* à mari

Rubro

Rubro appellas, & negotiis abſolutis eo redeas, impenſis annis tribus facile fuit opus. Præſertim eâ ætate, cum navigandi ſcientia adhuc fuit rudior. Veriſimilius videri poſſet, inſtitutam fuiſſe Salomoni hanc navalem expeditionem ex mari Rubro in regnum *Beachi*, è regione *Javæ* majori, in *Terra Auſtrali* ſiti: quod & fertiliſſimum eſt auri, & recto curſu ex mari Rubro poteſt adnavigari. Sed refutatur id eo, quod itineri illi perficiendo, non tribus annis, ſed vix anno unico, eundo & redeundo ſit opus. Simile itaque omni eſt vero, *Americam Peruamque* tempore Salomonis fuiſſe & cognitam & ab hominibus infeſſam habitatamque, idque à poſteritate Noachi.

Hiſt. Natur. lib. 33. cap. 3. Porro eſt conjicere, tempore Plinii atque ante, aliquid notitiæ fuiſſe de *Ophiris* regione & ex eâ flexâ Peru: quandoquidem, ut ante vidimus, nominatum Romanis fuit & cognitum pro auro optimo Obrizum, id eſt *Ophirizum*: ut D. Hieron. notat comment. in Jeremiam. Eidemque adhuc certius argumentum eſt, quod Flav. Joſephus, qui vixit tempore Veſpaſiani & Titi, meminit ut ante eſt relatum, *Terræ aureæ*, quam oſtendimus minimè abſimiliter debere accipi non pro alia, quam regione *Americæ*. *Tractatu de Imagine Lunæ.* Ex Plutarcho vero animadverti quoque & colligi poteſt, ſub Imperatore Trajano, ſub quo is vixit, nonnullam

nullam fuiſſe de *Occiduo Orbe* cognitionem. Refert ille, narratum ſibi à quodam ſuo amico Philoſopho *Sylla*, quod accepiſſet ex relatu ejuſdem peregrini, jacere ad occaſum æſtivum magnam terram continentem, in qua hîc illic & *Græcæ* nationis ſermoniſque habitarent homines. Eum cæpiſſe magnam aviditatem videndi magnam *Inſulam* (ſic enim noſtrum hunc *Orbem Orientalem* appellabat) atque variis jactatum erroribus, per mare, per terras, per gentes diverſas, per multa diſcrimina rerum tandem appuliſſe *Carthaginem*; inde vel in *Italiam Romamque*, vel eo, ubi cum *Sylla* egit. Laudatus fuit peregrinus iſte à *Sylla* quod eſſet magnus philoſophus, & rerum multarum undiquaque peritus. Fuſius ego hanc hiſtoriam enarravi cap.25.*Libri mei de Lingua Belgica*. Raptus eâ fui in magnam admirationem. Nec putare poſſum aut ſomnium id fuiſſe, aut mendacium purum putum Plutarchi, tam inſignis & cordati viri. Itaque etiam quî non cenſendum, non plane ignotum fuiſſe illis temporibus *Occidentalem illum orbem*?

Admirabile verò quam eſt illud quòd, poſtquam cognitæ terræ illæ opulentæ tunc, & *Romanis* & aliis fuerint, non inceſſerit eos cupido claſſibus illo pervadere, & ramos illos aureos velleraque pretioſiora *Iaſonicis* inde, ad imitationem Salomonis, auferre. Certè ſtupendum eſt, id intentatum

tum fuiſſe, cumprimis Romanis, inferorum ac ſuperorum ſcrutatoribus, tamque divitiarum avaris. Neſcio cui cauſæ hanc *Americanorum*, ab illis *Harpiis* & *Gryphibus* non ſpoliatorum felicitatem adſcripſero; an quod non ſatis clara exiterit ipſis *Indiarum* illarum notitia, obliterata non parum, poſt Salomonem edacitate longævi temporis? aut quòd non innotuerit ipſi, ut terra ipſa, ita ejus opulentia? aut quod tæderet pericula ſubire tam longinquæ & diſcriminis plenæ navigationis? præſertim cum nullo modo tanta adhuc eſſet tum temporis navigandi experientia, qualis jam eſt noſtrorum Argonautarum? ignotoque tum adhuc uſu nauticæ pyxidis, non auſi fuerint ſe tam vaſto Oceani ſalo committere, ex quo nec evadere quidem ſalvi potuiſſent? aut quia negotii ſibi tantum videbant, in hoc Orientali orbe devincendo & tuendo, incumbere, ut de illo Occiduo tam procul diſſito, non putarint ſibi cogitandum? aut quia mundi ſummus moderator uti Salomonem inſtigatu æthereo eo deduxit, ita *Romanos* & alios inde prohibuit retinuitque?

Inſuper non minus mirum eſt illud, quod per tot ſæcula inde à Trajani temporibus, ſub tam potentibus Imperatoribus & Regibus ethnicis Chriſtianiſque, tamque multis, ita notitia *Indiarum* illarum *Occidentalium* & *Auſtralium* obdormivit,

ac ſi

ac ſi in rerum natura terræque orbe non fuiſſent: Idque uſque ad annum ferè M.D. ineuntem. Amplifico hæc paulo latius in *Lingua mea Belgica*, cauſamque aliquam tantæ oblivionis aſſigno. Proinde ab eo regerendo jam manum levo.

Cap. 25.

Denuo vero cognitio hujus *Occidentalis* & *Auſtralis orbis* revelata fuit, ipſeque tam diu latens detectus, ab anno 1498. non ſapientia aut providentia humana, ſed caſu, non tamen ſine directione divina. Id ita contigit. Id temporis Ferdinandus Rex Hiſpaniæ claſſem emiſit ad explorandum, ſi quæ forte inſulæ & incognitæ terræ in Oceano alicubi eſſent. Tum navis quædam ex Hiſpanico littore ſolvens, vi tempeſtatis agitata proculque abrepta, inter Meridiem & Occidentem ad ignotam & inacceſſam inſulam fuit delata. Ea deinde maris ventorumque difficultatibus fracta & oppreſſa, rerum omnium indiga in inſulam *Maderam* appulit, paucis ſalvis, ſed inter alios ipſo nauclero. Chriſtophorus Columbus Genuenſis tum *Maderam* inhabitabat, navigandi ſcientiam probè callens, & occaſione oblata callidè utens. Is has hominum è naufragio reliquias hoſpitio perhumaniter excepit quæ ad univerſam illam navigationem præcipue pertinebant, diligenter ab iis præſertim navis gubernatore, percunctabatur: ex iis ſitum novæ inventæ inſulæ, adjectis longitudinis latitudiniſque

Hæc ex Epiſtola Ioan. Metelli I.C. quæ præfixa eſt Hiſtoria, de Rebus. Emanuelis Regis. Hieron. Oſorii Epiſcopi Algarbienſis.

que

que gradibus edidicit. Paucis poſt diebus, gubernator omneſque ſocii navales, morbo ab inedia aliiſque graviſſimis incommodis contracto obierunt. Novi hujus ac primi *Indiarum* repertoris nomen patriamque Columbus ſuppreſſit: quicquid ab eo didicit reticuit. Animo autem ſecum hæc meditans & ſæpe multumque repetens, Geographiæque rationibus firmatus, fieri non poſſe putavit, ut tam vaſto ſpatio ultra Gades nullis interjectis terris, ſe Oceanus porrigeret, quale inde eſt per orbis circuitum, uſque ad *Aſiæ* Orientales fines. Cui accedebant Platonis, Ariſtotelis, Senecæ aliorumque doctorum argumenta Coſmographis expendenda relicta; quibus alias in immenſo hoc Oceano continentes terras, aliaſque inſulas reperiri debere exiſtimabant. Eas autem ſe, ſi neceſſaria claſſe juvaretur, reperturum credebat. Itaque has ſuas cogitationes Regi primum Ferdinando, ac deinde Ioanni Regi Luſitaniæ, tum Galliæ quoque & Britanniæ Regibus expoſuit. Quibus poſtulata negantibus, & à nullis fidem conſecutus, tandem Regem Hiſpaniæ Ferdinandum rurſus aggreſſus, ei perſuaſit, ut ſumptus explorandis rebus propoſitis ſuppeditaret. Sic Columbus rem tentavit, paulatimque *Indias Occidentales* alias aliâs invenit, atque ita ejus inventionis author immortali nomine, ſed alieno indicio atque infortunio, celebratur.

Nau-

Nauclero illi in *Madera* mortuo idem in eo contigit à C. Columbo, quod optimo Virgilio à Bathyllo de illo celebri diſticho, *Nocte pluit tota &c.*meritoque manes naucleri illius inceſſere poſſunt Columbum iiſdem Virgilianis verſibus, Ego

Occiduas reperi terras, tulit alter honores:
Sic vos non vobis nidificatis, aves.
Sic vos non vobis vellera fertis, oves. &c.

Ad hunc itaque modum *Auſtralis orbis Americanuſque* ſemper uſque à mundo creato, fuit; ad Noachum & diluvium uſque latuit, nec habitatus fuit: inde poſt aliquot ſæcula & cognitus & habitatoribus poſſeſſus fuit: Denuo per multa ſæcula oblivione, tanquam alta Oceani abyſſo, ſubmerſus fuit, donec avorum noſtrorum memoria rurſus ex profundo in celeberrimam cognitionem emerſit.

Exploremus jam, quâ viâ ex *Aſia*, ubi primordia humani generis extiterunt, quæque officina omnium gentium fuit, nec non ex reliquo noſtro orbe homines in *Indias occidentales illas* devenerint. Neque enim difficile cogitatu eſt, quâ viâ, quaque ratione ex *Aſia* poſteri Noachi pervenerint in *Africam* & *Europam*. Adhærent enim illæ partes ſibi invicem continente tellure, & accedi ad eas ex aliis poteſt terreſtri itinere. At *America* & *Ma-*

gellanica disjunctæ ſunt undique à noſtro orbe mari & fluctibus: nec intrari in eas poteſt, niſi per freta & undas. Niſi quis velit dicere fuiſſe aliquando eas *Aſiæ*, per Iſthmos alicubi & terreſtres aliquas anguſtias, junctas: uti *Peruana* vel *Pariæ* terra adhæret, anguſto velut vinculo Iſthmi *Panamæi*, *Mexicanæ*, & *Peloponeſus Atticæ*: atque vel temporis mordacitate, vel maris aquarumque furore anguſtis illis aditibus deturbatis, ab *Aſia* eſſe ſeparatas. Quemadmodum explicatum eſt ſupra, quod Rhodus Inſula, quorundam opinione fuerit avulſa à continente regione *Dorica*: ut reſciſſa *Sicilia* ab *Italia*;

Virgil. Æneid. 3.

Quæ loca vi quondam & vaſtâ convulſa ruinâ,
Diſſiluiſſe ferunt; cum protinus utraque tellus
Una foret: venit medio, vi Pontus & undis:
Heſperium, Siculo latus abſcidit.

Unde & Lucanus,

At poſtquam gemino tellus eliſa profundo eſt,
Extremi colles Siculo ceſſêre Peloro.

Sic volunt aliqui *Africam* ad *Gades* connexam fuiſſe *Hiſpaniæ*, & à mari duplice eroſum Iſthmum; ut nunc in ſe invicem tranſ-

tranſeant fluctuſque alternent Oceanus & Mare Mediterraneum. Et Valerius Flaccus aſſerit, fuiſſe aliquando

-- *Lybiam cùm rumperet advena Calpem Oceanus.*

Adeo ut fuerit ſiccus tranſitus olim à *Calpe* monte *Hiſpaniæ* ad *Abylam in Africam.* Quod etiam Joannes Tivinnus eruditiſſimus Britannus accidiſſe exiſtimat illi freto, quod eſt inter *Gallias* & *Britanniam*: id Iſthmum fuiſſe, & longinqua vetuſtate eroſum, nunc permeabilem eſſe. *Commentar. Anglicorum lib.* 1

At verò utcunque hæc vera ſint, & allatis teſtimoniis ſit adhibenda fides: tamen neque apud illos, neque apud ullos alios ſcriptores quicquam apparet, quod unquam ulla parte talis Iſthmica aliqua connexio fuerit Orbis novi ad Orbem hunc noſtrum. Deinde differentia inter freta *Galliæ*, *Siciliæ*, *Hiſpaniæ* & quæ inter *Americam* & *Aſiam*; rurſuſque inter *Aſiam* & *Magellanicam* interfluunt; ubique tanta eſt, ut licet inter illas anguſtias aliquis terræ nexus fuerit, non tamen fuiſſe potuerit inter *Americam & Magellanicam* ullibi cum *Aſia*. Eſt itaque hoc indubitanter ſtatuendum, non alia ratione potuiſſe ab Orbe *Europæ*, *Aſiæ* atque *Africæ* perveniri in Orbem *Americæ* atque *Magel-*

Magellanica, quàm navalibus vehiculis. Unde facile eſt conjectu, multum temporis fuiſſe elapſum, à reſtauratione generis humani, per Noachum ejuſque proſapiam, antequam tranſitio ſit facta ex continente *Aſia* in alios orbes. Namque & frequentia hominum maxima debuit fuiſſe, priuſquam è terrarum meditulliis ad maris littora ſe diffuderunt, & ex nota terra ad ignotas tranſmigrarint. Deinde non initio ſtatim uſus navium fuit cognitus: atque illæ cum excogitatæ jam eſſent, non dubium eſt quin aliquo diutino maris conſpectu, & navigandi tentamine hominibus debuit accedere audacia ſeſe committendi ac credendi tam horrido vaſtoque aquarum & fluctuum deſerto: non enim exigui, mollis ac debilis animi fuit hanc audere audaciam: ſed

Horat. Carm. lib. 1. Ode 3.

Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem
Primus: nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec triſteis Hyadas, nec rabiem Noti.

At verò an fortuito primi homines, non propoſito ex Aſia in Americam aut Magellanicam, itinere navali devenerint, tempeſtatibus & violentia ventorum jactati (uti

(uti ſupra audivimus accidiſſe Nauclero illi Hiſpano) quis affirmaverit? Fortè ita evenit cum uno aut altero: ſed haut dubiè deſtinato conſilio etiam ab aliis id eſt tentatum ad quærendas novas ſedes incolatuſque. Et quidem omni rationi eſt conſentaneum, qui primi hoc in animo habuerunt, tentaſſe atque exploraſſe, ubi locorum fuerit anguſtius maris interſtitium, ac compendioſior faciliorque tranſmiſſus. Is, prout ars Geographica & adhuc dum ipſa experientia commonſtrant, eſt fretum *Anian*, quod intercurrit inter *Aſiam* & *Mexicanam*; juxta promontorium *Tenduc* in regione *Aſiæ Ung*, & promontorium de *Eſcondido* in *America Mexicana*: circa gradum latitudinis LV. Quod interſtitium eſt graduum circiter decem in Æquatore: quæ ſunt miliaria Germanica CL. Nullibi notari poteſt inter *Aſiam Americamque* anguſtius mare. Hinc ferè docti omnes ex *Aſiæ* in *Americam* tranſmigratum autumant. Etiam Magnus ille Pliſſæus Lib. de Relig. Chriſtiana cap. 8. Qui tamen neſcio quo ſphalmate in eo ſit lapſus, quod dicat non latius eſſe hoc fretum *Anjanum Gaditano*, inter *Hiſpaniam* & *Africam*, cùm id vix ſit amplius ſemigradu *Æquatoris*, id eſt, octo miliaribus *Germanicis*. A parte autem *Europæ* eſt ferè tantundem ſpatium ab *Orcadibus Scoticis* uſque ad *Iſlandiam*, quantum

eſt fretum *Anjanum*. Ex *Iſlandia* verò in *Groenlandiam* vix eſt latitudo trium graduum æquinoctialium, quæ ſunt milia-ria circiter quadraginta: inde uſque in terram *De Laborador* vel *Corterealem* non longior tranſitus quam IV. graduum. Inde porro exigui ſunt trajectus, qui *Danubii* fluvii latitudinem non excedunt, per aliquot inſulas in continentem *Americæ*. Hinc vero patet terreſtris aditus per totam *Mexicanam* & *Peruanam* longè lateque uſque ad fretum *Magellanicum*. Ad quem quidem modum potuit populorum gentiumque diſſeminatio fieri per omnem utramque *Americam*.

Quod autem tam fortuita & inopinata jactatio, quam voluntaria commigratio ex *Europa* in *Americam*, atque ex iſta in illam, idque eâ viâ, quâ modo oſtendimus, ſit atque eſſe poteſt; id obſcurè quidem, ſed tamen aliquo modo palam eſt ex narratione Plutarchi; libro De Imagine Lunæ, quam ſupra attigimus; & in libro noſtro *De Lingua Belgica* fuſius recitavimus atque explicuimus.

Solventes itaque hinc ex *Aſia* transfretando anguſtias Anjanas, illinc ex *Europæ* occidentalioribus littoribus, diſcurrendo per *Iſlandiam*, *Friſlandiam*, *Groenlandiamque*, illud immanium Balænarum domicilium, peragravinus *Americam*, atque per eam deduximus tum Noachidas alios,

tum

tum noſtrum audax Iapeti genus, uſque ad fretum *Magellanicum*. Pandamus jam vela ac tranſmittamus in ipſam *Auſtralem Magellanicam*. Unde quaque viâ in eam hominum ingreſſus? in immenſam illam naturæ rerum partem, vereque toto alio orbe diviſam? Ab occidentali plaga non eſt dubium quin ſe homines trajecerint in eam ex aliqua extima parte *Americæ*, à litore freti *Magellanici*, circa *Anguſtias Victoriæ*; *Omniumque Sanctorum*, ut hodiè ab *Hiſpanis* vocantur. Ubi non major eſt ſali latitudo inter terram illam *Auſtralem* & *Americam Patagonumque regionem*, quàm *Danubii* eſt ad oſtium *Euxinum*, vel *Propontidis* inter *Thraciam* & *Aſiam minorem*: ac proinde non uſque longa aut operoſa transfretatio. Sed quid vetat, quin etiam ab orientali plaga ex inſulis orientalis Indiæ fuerit petita & acceſſa *Terra Auſtralis*? Certè ex *Taprobana*, quæ eſt hodierna *Sumatra* facilis jam antiquitus fuit tranſmiſſio in *Javam Majorem*: inter quam & continentem Terræ *Auſtralis* interlabitur fretum, quod, ubi anguſtius eſt non excedit ſeſqui gradum æquinoctialem, id eſt, miliaria Germanica circiter XXIV. Quomodo verò potuit latere hæc terra ante duo millia annorum, quum tum ab inſulanis illis tam multarum populoſarumque inſularum longè lateque navigatum ſit, ac velificando diſcurſum ad vicina loca?

 quo-

quomodo detecta ab iis non fuerit inſeſſa& habitata, præſertim quum multarum aliarum mercium, imprimis auri, eſcæ illius, hominibus illiciendis adeo potentis, ſit ditiſſima?

Sic igitur ex ſemine Noachi univerſæ orbis regiones fuerunt longo temporis progreſſu, quaquà verſus, ad omnes cæli plagas, per cunctos *Orientis*, *Auſtri*, *Occidentis* & *Aquilonis* cardines, diſſeminatæ occupatæque. At oppidò difficilior eſt cogitatio comprehenſioque, quomodo bruta animantia ex orbe Orientali Aſiæ, Europæ & Africæ potuerint devenire per maria & freta in *Magellanicam* & *Americam*. De avibus totoque genere alato fortè quis dixerit, quod volatu & remigio alarum freta omnia & fluctus potuerint ſuperare. Cæterum perpendatur hoc paulo penitius, nec arripiatur amabo præfeſtinatim nimis & temerè. Quid? an non infinitum genus eſt alitum, quod pennis adeo eſt tardis & gravibus atque ab aquis tam abhorrente ingenio, ut nec audeant ſe commitere flumini lato non amplius unico ſtadio, aut miliari communi; nec volatu poſſent explere tantillum ſpatium? uti genus noſtrum omne gallinaceum, phaſiani, ſthrutiones & ſimiles? Quomodo ergo fretum *Anjanum* & ſimilia maris ſpatia multa miliaria longa tranſmittere poſſent? Adde quod infinitæ ſint avium grandium, minuta-

n utarum in *America*, *Mexicana*, *Peruana*, *Magellanicaque* ſpecies, quæ in *Aſia*, *Africa*, *Europa* nec ſunt, nec unquam fuerunt, antequam navibus inde huc ad nos fuêre delatæ. Ergo ſpecies illæ ex noſtro orbe in Occidentalem illam aut Auſtralem non potuerunt aut volando, aut alia ratione pervenire.

Sed forſitam piſces commodius potuerunt nando ex noſtris fluminibus & maribus in maria & flumina *Occidentalia Meridionaliaque* tranſire. Examinetur & illud propius. An non quam plurima genera piſcium circa *Americana* littora, inque illius & *Magellanica* maribus fluviiſque reperiuntur, quorum nullum unquam videtur aut naſcitur noſciturque per *Aſia*, *Europa* & *Africa* maria amneſve? Quî ergo hinc eo pervenêre? Tum an non ponderoſiora ſunt piſcium corpora, quàm ut pinnis ſuis minutis poſſint emetiri, ſine defatigatione, tam immenſum ſpatium, quantum eſt à noſtro hoc mundo in illum *Occiduum Auſtralemque*? Nec libenter piſces, ut & reliqui greges animalium, ex nativis ſuis locis demigrant longinque, ſed amant commorari, velut in patria & adhærere ſuæ agnatæ familiæ, in genitalibus ſuis aquis, gentilique ſalo. Unde fit ut in diverſis aquis diverſæ ſpecies generis ſquamati inveniantur, & piſcatu educantur.

Si autem aves nec volando, nec piſces natando à noſtro hoc orbe pervenerunt in illum *occiduum*, multo minus aſſequi cogitatione datur, quomodo reliqua animalia terreſtria, quibus nec pinnæ, nec alæ ſunt, potuerint eò pervenire? Tametſi enim animalia quædam natare tantum poſſunt, ut fluvium aliquem tranent non uſque latum, tamen durare non poſſent, donec tranſirent aquas aliquot miliaria dena aut vicena ſeſe extendentes: idque ſine refectione ulla cibi potuſve. Et ſexcenta ſunt animalia, quæ ne tantillum quidem audeant in aquis fluitare. At vero, inquit, ab hominibus in navigiis beſtiæ bipedes quadrupedeſque è noſtris terris in illas *Indias Occidentales ſunt tranſlata.* Quàm vero hoc non penſiculatim perpenſum ac pronunciatum! Quis voluerit genera leonum, urſorum, tigrium, leopardorum & ſimilium ferocium tamque noxiorum animalium aut navibus imponere, aut eorum truculentiæ in eadem cavea ſeſe credere? Scilicet ut ſerpentem & draconem in ſinu foverent? Quis voluerit illa pericula, quæ mera ſunt calamitas & ſtrages omnis innocuæ ſalutariſque pecudis, & omnis rei bonæ, opera non parva ſecum in quæſitas optataſque terras adducere, illorumque non minus, quàm ſui colonias illic collocare? Apage hos cogitatus! Deinde annon in *Indiis* illis multa ſunt genera quoque tam feroci-

roci-

rocium & ſylveſtrium, quam cicurorum animalium, quorum nullæ ſimilitudines unquam in *Aſia*, *Europa*, *Africa* aut viſæ ſunt aut memoratu antiquorum ſcriptorum cognitæ? Quam ſtupemus, quando ea videmus, ad eorum formas, lineamenta, colores, pilos totamque faciem, ac ſi ex cælo cecidiſſent? Quomodo ergo à noſtri orbis hominibus, apud quos nunquàm fuêre eò delata ſint?

Porro de multis arboribus, herbis aliiſque plantis, anne idem eſt ſtatuendum: quod non potuerint eſſe à noſtris in illas partes tranſvectæ; poſtquam nec ſemina earum ulla, nec ſpecies ſunt inventæ, antequam inde ad nos ſunt allatæ? Certè irrefragabile hoc eſt atque indubitatum teſtimonium, multa genera non tantum herbarum plantarumque, ſed etiam avium, piſcium, animantiumque terreſtrium non eſſe ex *Europa*, *Aſia*, *Africaque* in *Indias Occidentalem Meridionalemque* deportatas; quod & nunquam in eis exſtiterunt: Aut propter alias ſupra relatas rationes eò deportari, aut pervenire potuerunt. Si vero tam multæ atque innumeræ rerum ſpecies *India* habent, ac non aliunde, quam à ſe & apud ſe: quomodo non & omnia avium, piſcium, animalium terreſtrium genera potuerunt habere, abſque quod à noſtris eo delata & tranſvecta ſint: etiam

ea,

ea, inquam, quorum nos in noſtro orbe. & ſemina & ſpecies habemus?

Sed dices, ſi non ex *Aſia*, ubi prima conditura, ſicut hominum, ita omnium animantium plantarumque fuit, per *Europam*, & *Africam* in *Americam* omnia ea devenerunt, quomodo ibi ſunt, & eorum illa tam eſt locuples? Dicam, quod fortaſſis videbitur magnum maximum paradoxon; atque ajo: Quod is, qui animalia plantaſque fecit collocavitque in *Aſia*, idem quoque eorum ſpecies & ſemina conſtituit atque produxit in *America*. Idque ſimili potentia & arte, ſimilique materia, qua ſpecies & genera rerum produxit in *Aſia*, circa *Hedenem*: addita eadem vi & benedictione ſingulis multiplicandi ac procreandi ſui ſimilia. Quod quidem firmum clarumqne redditur hoc pacto: quod, cum ibi ſint, aut eo delata oportere neceſſario aliunde, aut à Deo ibi locata & producta. Innumeræ autem ſpecies omne genus ibi ſunt, quæ alicubi nunquam ſunt repertæ; ergo illæ ſaltem à noſtris hominibus aliunde non ſunt importatæ, ac proinde ab ab ipſo Deo ibi factæ & collocatæ. Uti porro aliquæ illæ innumeræ ſpecies ibi à Deo ſunt factæ, cur non omnino omnes? eadem enim potentia & ſcientia præſto Deo fuit in omnes, quæ in multas: ejuſque bonitas & ſapientia dubitandum non eſt, quin

quin voluit proſpicere de cunctis neceſſariis, in poſterum illic habitaturis.

Nec refragatur huic noſtræ ſententiæ S. Scriptura: ne quiſquam putet, nos eâ convellere revelationem, de productione animalium brutorum, Moſis; quaſi ille aſſerat ad rerum exordium ea primitus eſſe procreata in *Aſia*, atque inde perveniſſe in alias mundi partes per generationis multiplicationem. Etenim Moſes magis ſententiam noſtram roborat, ſi bene ad narrationem ejus attendatur. De piſcibus initio ſic infit: *Deum juſſiſſe in genere omnibus aquis maribuſque* (non unis Aſiaticis) *ut producerent reptilia, id eſt, natantia animantia: atque ita abunde ea producta fuiſſe:* unde quid aliud pronunciandum, quam non ſpecimen tantum unum atque alterum ſingulæ ſpeciei piſcium proveniſſe hoc divino juſſu, aut uno in ſingulari loco, ſed paſſim, per omnes aquas, magnaque copia. Ad eundem quoque modum ſcribit Moſes de avibus, *quod, quaqua cœlum expanditur, volatilia facta fuerint ſuper totius terræ ſuperficiem, quam longè lateque patet*. In eandem ſententiam loquitur de animantibus terreſtribus: *ut produceret terra beſtias terræ & jumenta ſecundum ſuas ſpecies*. At pars illius terræ non exigua *America*: cur igitur non ex juſſu divino illa quoque produxerit ea

Gen. 1. 20, 21.

Ibid. v. 24.

 ſimi-

ſimiliter, atque *Aſia*? quin & *Europa*, *Africa*, & *terra Auſtralis*? Illud neque id evertit, quod dicatur à Moſe, *animalia*
Gen. 2. 19. *omnia fuiſſe ad Adamum adducta à Deo, ut videret, quod nomen cuique inderet*: nec potuiſſe Adamum indere nomen, neu ad eum adduci, quæ ad extremas oras *Europæ*, *Aſiæ* & *Americæ* tum fuiſſent procreatæ. At quid incommodi aut abſoni, ut adducta ad eum ſint animalia, iiſque nomen indiderit omnibus, quæ commodè adduci potuerunt? Num verò catagoricè ſequitur; Adam indidit nomina beſtiis ad eum adductis: Ergo nullæ fuerunt longinque propeque aliæ? Sic neceſſariò ſequeretur; non plures aut alias ullibi terrarum eſſe aut fuiſſe animantium ſpecies, quam quibus in Aſia productis nomina indidit. Verum enimvero, nunquid experientia commonſtrat, uti modò quoque allatum paulò ſuperius fuit, innumeras eſſe ſpecies in *India occidentali*, quæ in *Aſia* nunquam fuêre? Uti nec eò potuerunt pervenire aut ſpecies multæ in *Aſia* productæ & ab Adamo nuncupatæ, aut *Aſiæ* nunquam notæ, Adamoque nunquam nominatæ aut viſæ. Quod mihi perenne ac decumanum teſtimonium remanet, Animantia *Americæ* non eſſe aliunde eò perducta, ſed inibi indigena productaque. Nec video itaque, cur

cur non firma hæc noſtra de eo ſententia,

> *Ceu immota ſilex, ſtet, vel Marpeſia cautes?*

Ex prædictis probatiſque huc uſque etiam hoc neceſſariò adſtrui debet; ſimiliter in omnes inſulas, majores, minores, paſſim in Oceano tam à continente terra, quam à ſe invicem projectas, non allata animalia; ſed à Deo fuiſſe quoque facta inibi & collocata, non minus, quam quæ in *Aſia* & ei adhærentibus orbis partibus vivunt paſcunturque.

Pro mantiſſâ ac ἐπιμέτρε vice addam hiſce hanc appendicem: An diluvium Noachicum pervaſerit quoque ad *Indiam occidentalem* aliaſque remotiores terras aut inſulas. Concludet id aliquis haud dubiè firmiter ac pro rato ex ſcripto Moſis; ubi diluvium hoc ejuſque vim deſcribit: dicetque omnia omnino animantia, ubicunque terrarum fuerint, cunctaque viventia eſſe deleta; omnes item herbas, plantas & arbores fuiſſe penitus exſtirpatas, tam per *Americam* atque inſulas omnes, quam in *Aſia*; exceptis iis, quæ à Moſe ſunt in *Arca* aſſumpta. Argumento duplice ex Moſe deſumto hoc putant firmari. Primò, quia diſertè atque exer- *Gen.* 7.

tè dicit; *expiraſſe omnem carnem ſuper terra exiſtentem: omne id deletum, in cujus naribus erat halitus vitæ:* verbo, omne corpus vivens, quod degebat in terra, ex vocibus *omnis caro*, & *in ſuperficie terræ*, ducitur concluſio; nihil in ulla parte terræ vivens fuiſſe non deletum rabie illius immanis diluvii. Sed nunquid ſæpenumero voces illæ *omnes univerſales* Dialecticè, Rhetoricè, Grammaticè per Synecdochen accipiuntur ſingularius? num ſexcenties ſenſu neceſſario reſtringuntur ad illa ſola, quibus res aliqua contigit? non comprehenſis aliis, quibus non idem contigit. Num & ſimiliter intelligi poteſt, diluvio magnam partem rerum viventium eſſe deletam, adeoque illa omnia, quæ Deo viſum eſt eo tollere è medio, etſi alia non attigerit? ac ſi omne vivens tam latè ſumendum eſt, ut nihil excipiatur: neque Noachus cum ſuis, nec animalia, quæ in arca fuerunt, indeleta manſerunt. Sic *ſuperficies terræ* ſumenda eſt ſynecdochicè pro ea parte terræ, ad quam diluvium erupit atque inundavit. Infinita ſunt loca tam apud alios ſcriptores, quam in ipſa ſacra Scriptura univerſaliter pronunciata, quæ neceſſariò ſingulariter debent ac pro parte intelligi. Tum certè, quod alicubi in terra fit, fit id in ejus ſuperficie, etſi non ubique & in om-

nibus

nibus ejus partibus. Adeo ut adhuc ſalvum maneat; non neceſſariò ex Moſis verbis inferri, per univerſum mundum animalia omnia fuiſſe diluvio extincta, etiam in *America*. Alterum argumentum inde ex Moſis relatu deducitur, *Quod tanta fuerit altitudo profunditaſque hujus diluvii, ut exuperavit altiſſimos montes*: ac proinde etiam pervaſerit quicquid uſquam terrarum fuit. Sed neque illud neceſſariò evincit, etiam pertigiſſe uſque ad *Americam* & alia remotiſſima ab *Aſia* loca. Etenim, quamvis violentia furorque undarum in diluvio tantus fuerit, ut altiſſimos quoſque montes qui ſunt in *Aſia* & vicinis regionibus; *quindecim cubitis* transſcenderint, non ideo tamen inundaverint æſtu ſuo *Americam*: tanta enim eſt altitudo convexitatis terræ ab *Aſia uſque Americam*, ut ſummitatem *Atlantis* ipſius, omniumque aliorum totius terræ montium infinito ſuperet: planum tamen centricum hemiſphærii ſeptentrionalis, ſubter quod conditur *America* ferè tota, invadere non potuerint. Niſi velis dicere, aquas extra terræ mundique centrum poſſe exiſtere ac remanere. Inſuper, eo modo videri poſſet totus terræ globus undiquaque circundatus aquis in aëre pependiſſe. Quod rerum naturæ non eſt conſentaneum aut conveniens. Præterea, etſi na-

turæ

turaliter tanta vis aquarum non potuiſſet contineri, quin ubique permanaſſet atque omnia abſorpſiſſet, an non Deus Opt. Max. qui omnia fert verbo ſuæ po-
Hebr. 1. 3. tentiæ. Ὁ φέρων τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, potuit refrænare ac retinere rabiem diluvii, ne ulterius pervaderet, quam ad illos, eaque loca perdenda, in quibus erant illi, ob quorum ſcelera diluvii ſtragem atque perniciem comparaverat? At ante diluvium ſupra fuit ex S. Scriptura comprobatum, non fuiſſe ullos homines in *America* & plurimis aliis terris & inſulis; ideoque nec peccatores, nec peccata. Quî ergo conveniat ejus juſtitiæ & benignitati, ut deleverit ea, per quæ & in quibus homo nemo peccaverat? Nunquid furorem aquarum potuit tum compeſcere; uti in Mari rubro, contra naturam eas erectas tenebat, inſtar duorum
Exodi 14. parietum ſaxeorum, ut populo Judaico innoxio parceret ab illo exitio, quo punire volebat ſcelera & impietatem Ægyptiorum eorumque Regis? Non igitur ex ſacris literis, neque ulla ratione proba aſſeri poteſt; diluvio omnes res viventes omniaque animalia, per univerſam terram, fuiſſe deleta.

Quin id indubitanter aſſeri debet, non eſſe ubique aut in *America*, aut *Magellanica*, aut multis inſulis id factum. Idque eo,

quod

quod ita ſtatueretur ſecundò in illis locis omnia animalia & herbas plantaſque, ut in ipſa origine mundi, eſſe denuoque creata. Deus juſſit Noacho, ut de omnibus animantium ſpeciebus, par unum ſecum in *Arca* aſſervaret, ut illa ſeminarium eſſent, unde rurſus illa genera, quæ interierant, poſſent reſtaurari. Atqui inde reſtaurari in *India occidentali* non potuere illæ ſpecies, & genera animalium, quæ ibi ſunt: tum quia in regionibus illis aliæ ſunt plurimæ ſpecies, quæ nunquam in *Aſia* fuerunt: tum quia ex *Aſia* eò rurſus deferri nullo modo potuerunt, ut ſatis ſuperque ſupra eſt probatum. Ergo, quæ hodiè animantia aut in *America* aut in aliis remotioribus ab *Aſia* regionibus ſunt & vivunt, aut ſupermanſiſſe in diluvio oportet neceſſariò, aut iterum poſt diluvium eſſe & ſecundò creata. At iſtud adverſatur ex diametro ſacræ Scripturæ, quæ nos docet, poſt ſextum principii & originis Mundi diem, Deum plane ceſſaſſe ab omni opere creationis. Itaque conſiſtit hoc immotum: diluvium ad *Americam* aliaſque *Indias* regiones non permeaſſe, aut animalia ibi exſtinxiſſe. *Gen. 2. 2, 3*

Exegi hoc monumentum: Anno Ætatis meæ LXX. Deoque gratias ago ac debeo mortalis, immortali, immortales, quod tantum mihi animi corporiſque virium

rium indulſerit, ut ſuper hiſce nobilibus præclariſque problematibus hæc, qualiacunque ſunt, licuerit meditari. An ea, ut æs perennatura ſint, neſcio. Saltem hoc à mei æquo Lectore impetrare liceat; ut cogitet illud Menandri:

Ὁ προκαταγιγνώσκων δὲ πρὶν ἀκοῦσαι σαφῶς,
Αὐτὸς πονηρός ἐστι; πιστεύσας κακῶς.

id eſt:

Qui damnat antequam audiit clarè ſatis,
Scævus vir eſt, exiſtimans minus bene.

Notata ad Scriptum meum, de origine Animalium, & migratione Populorum.

DILUVIO potuiſſe periiſſe omnes plantas & herbas non adeo abſurdum videri debere, & rurſus nova omnia prodire ac propullulare ex terra uti initio creationis: Idque vi illius mandati, *Herbeſcat terra, &c. Gen.* 1. quod velut infinitam periodum durare in infinitum, cenſit Baſilius, & affirmat ſæpius *homil.* 5. *in hexaemeron.* Etiam credibile eſt ſpatio dierum 150 plantas tam altè ſub aquis ſepultas aut immerſas, ut nullum aërem potuerint capere, ſuffocatas emarcuiſſe: uti adhuc experientia docet fieri. Et Noach potuit vineam plantaſſe, id eſt propagaſſe labore & cultu, poſtquam repullulaverat à diluvio, etſi non ſuperſtes aut viva manſerit: uti plantatione propagata & culta fuit ante diluvium quum principio rerum abſque cultu ullo provenit è terra. Nec refellit repullulationem, aut vivas manſiſſe plantas, certo affirmat quod columba folium olivæ in arcam attulit: nam extinctis arboribus & plantis folia emortua & rami manent ſuperſtites: erat hoc ſignum quidem

Ambr. Hexaem. l. 3. c. 6.

dem denudationis terræ, ſed non argumentum firmum quod plantæ vivæ manſerint ſub aquis.

Ibid. c. 11. Aug. De Gen. ad liter. l. 3. cap. 15. 16. 17 18. Amb. Hexaem. lib. 6. c. 3.

Noxia aut nocumenta rebus creatis non adfuiſſe ante lapſum, aſtruit Baſilius *Homil. 5. in Hexaemeron, circa medium.*

Animalia bruta poſſe gigni ex terra ſpontanea & indita vi, ſine mixtione maris & fæminæ, cenſet Baſil. *Homil.* 8. *in Hexa: ſub initium.* Idque etiamnum hodie & in omni terræ parte, ex vi ſcilicet primi mandati &c. uti probat exemplo aliquot animalium: idem de reptilibus *Homil. 7.* & aquatilibus *Homil.* 8.

Objectio. Si animalia ex terra poſſent oriri, Deus non juſſiſſet Noë aſſumere in arcam. Reſp. Multa captui humano inconcinna de eo occurrunt: uti de inſectis, muribus &c *Auguſt. Lyran. in Gen. cap. 6. p. 51. col.* 3. & de cibo pro carnivoris, unde concludi poteſt, non omnia ad conſervationem ſpecierum in arca fuiſſe. Et forte tantum manſueta, ut eorum ſpecies tanto citius poſſet reparari & multiplicari. Deinde fieri non potuit, ut ex ultimis Aſiæ, Africæ, Europæ finibus ex America Magellanicaque adducta ſint ea animalia, quorum ſpecies in Armenia, & vicinis locis non fuerunt.

An ferocia illa adfuerit animalibus truculentis leoni, pardo, urſæ, &c. ante lapſum, quæ poſt lapſum?

An.

An climata diverſa terræ cælique fuerint ejuſdem qualitatis, ante lapſum cujus nunc ſunt?

An ferocia animalia in arcam adducta; & ſi id factum, an cicurata fuerint? An tantum innoxia & utilia: ferociaque & noxia rurſus è terra propullularint?

Origenes *Homil.* 1. *in Gen. p.* 5. ſentit animalia reſque malas ac noxias tam fuiſſe à Deo creatas prava, vel qua nunc ſunt natura noxia.

Gen. 6. dicit Deus ſe perditurum non tantum homines & cuncta exiſtentia in terra, ſed ipſam terram: non maſſam, ſed omnem ejus ſpeciem & ornatum, ergo & herbas, &c.

In arca fuiſſe Leones & Tigres diſtinctos à cicuribus, per cubilia aut caveas in ſecunda arcæ concameratione, Origenes exiſtimat *Homil.* 2. *in Gen. p.* 9. Et credibile eſt: ſicque in arca fuiſſe potuiſſe. Non tamen, quin miraculo ferocia exempta aut cohibita fuerit, uti in cavea Babylonica ante Danielem, cum à Moſe introducta ſunt. *Auguſt. Quæſt. in Geneſ. lib.* 1 *quæ.* 4. 5. *&c.*

An, ut Origenes ſentit *Hom.* 2 *p.* 9. *in Geneſ.* carnivoris tot viva animalia, ut pro anno ſuffecerint, ſint introducta; uti pro reliquis alia pabula? Dubium mihi: nam ſic non bina binaque ex immundis, & ſeptena ex mundis introducta oportet, ut textus habet, ſed infinita. Num ergo miraculo

Deus

Deus omnia pavit uti Iſraelitas in deſerto, veluti Chriſtus multiplicatis panibus paucis & duobus piſciculis: quia omnia in arca & diluvio hoc miraculoſa.

De magnitudine arcæ ex Origenis *Homil. 2. in Geneſ. p.* 10. contra Apellem.

Miraculo etiam factum quod impii non inhibuerint æditicationem arcæ: & cum facta eſſet, non irruerint in eam cum Noacho.

Nulla creatura mala. Aug. 10. 3433. a. 2. Creaturæ ſui ſimile generant. t. 10. 114 b. c. 1. De diluvio & arca. t. 241. a. 1. 260. c. 1. t. 4. 37. a. b. 2. t. 6. 114. a. b. 2. t. 5. 185. a. 1. Animalia intrabant Dei nutu in arcam. Aug. t. 5. 185. a. 2. De alimentis convenientibus in arca. ibid.

FINIS.

c
F667
N997d